

causatis ex vaporibus calidis & siccis, & est significatum per D. Quartum est quædam substantia procedens ex minera sua & infra ipsam, magis propinqua naturæ metallorum, quæ calcantis & azo h vitreus ab aliquibus nominatur, quæ est terra & minera metallorum. & alio nomine vocatur urisus lucens & album, in occulto rubeum, nigrum & viride publicè, habet colorem lacertæ venenosæ, immediatè generatur ex argento vivo materia supra dicta, impregnata ex dicto vapore calido & sicco sulfurco in sua resolutione congelata in lacertam, in quo est forma & species spiritus foetentis in mixtione, cujus est calor mineralis multiplicatus, qui est vita metalli, & est significatum per E. Quintum extremum vel extremitas, sive medium sunt vapores immediatè generati per resolutionem & rarefactionem dicti vitrioli vitrificabilis. & hæc est prima & proximior materia generationi omnium metallorum impregnata & apprehensa à naturali calore vivificativo, in forma & specie aquæ vivæ, de qua omnes hujus artis investigatores intelligere habent, in opere naturæ esse argentum vivum, sed non tale, quale invenitur super terram nec erit, quousque in sanguinem apostematum & venenosum primitiùs vertatur, & significatur per F. Sextum extremum sunt sulphura facta per successionem, immediatè generata per naturam à substantia viva dictæ aquæ, de quorum vaporibus omne aliud argen. vivum coagulatur, & est retinaculum rectum dictorum vaporum in illo metallo, cujus est vapor. Et hoc fit secundum depurationem, quam materia recipit per naturam, cum informatione tali, qualis sibi administratur ad formam & speciem dicti metalli. Et talia sulfura significata sunt per G. Septimum extremum sunt metalla generata ex dictis vaporibus sulfureis, & argento vivo per successivam decoctionem, & sunt vera extrema sive extremitates, sive media imperfecta clausura, & in omni opere naturæ significato per H. Sed per corruptionem, quando extra ipsorum mineras extracta sunt, intendit natura rubificare & rubiginare, ad redeundum per motus circulares, illa corrumpendo, & iterum generando, tantum quod terminentur in novam generationem, per digestionem in suis mineris, in quibus sunt inclusi vapores resoluti ab illis corrupti, propter gravitatem suorum elementorum instinctu naturali, & ibidem suo motu digeruntur, quousque in speciem meliorem terminentur, sicut generatio carnis fit in corpore animalis, per cibi & potus digestionem, prout breviter declaratur in magica scientia & arte, quod sic incipit: manifestum de generatione & cor-

&amp; cor-